DISSER

IN

E P I

No /

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

EPILEPSIA.

Mr. Fullarton

with Compli

from his sincere friend

the Author.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
EPILEPSIA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GULIELMUS MOTHERBY,

REGIOMONTI-BORUSSUS;

SOCIETATIS MINERALOGICÆ QUÆ JENÆ FLORET, SODALIS

Ad diem 12. Sept. horâ locoque solitis.

——————— Jactor, Crucior,
Agitor, Stimulor.

PLAUT.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCII,

ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

M DCC XCIX.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

EPILEPSIA.

PROŒMIUM.

QUÆSITUS fortaſſe, qua de cauſa Epilepſiam elegerim, nec alium morbum, de quo dicerem, quærens egometipſe reſponderem, quin ita egiſſe mihi licuerit?

Negativum ſolummodo reſponſum reddere poſſem, quod, quùm neminem fuget, cur auctor prorſus evaſerim, ſatis eſſe exiſtimo.

Nam etſi morbus, de quo mihi ſermo eſt, ſcriptoribus de re medica vel antiquiſſimis jamjam no-

tus fuit, quamvis ab eorum tempore uſque ad noſtros dies perſæpe fuerit pertractatus, etſi ita, dico, viâ quidem tritâ et maximè uſitatâ incedo, ſpem tamen in pectore alo, me, ſi juſto tantùm ordine, quæ ad materiam propoſitam pertinent, collocavero, laborem non planè inutilem ſuſcepiſſe; gratum quinetiam forſan iis, qui ex fontibus ingenuis hauriendo vacare non potuerint.

Epilepſia, a Græcis divinæ originis habebatur, et nomine ſacri morbi, ἱερα νόσος, a Diana hominibus immiſſa credebatur. Herculem ipſum ea laboràſſe, nonnulli ſunt auctores, Herculeus morbus quia vocari ſoleret. Emblema verùm valoris, roboris, corporiſque virium, uti Hercules repræſentatur, morbo hujus indolis ſubjectum imaginari, abſurdum mihi videtur. Meliùs obſervat inde Arteæus, omnia, quæ magna ſunt et excelſa, Herculea vocari.

Ominoſum apud Romanos erat malum epilepticum, nec fauſti præſagii; comitialis inde ab iis morbus dictus, quod, quùm quis paroxyſmo correptus fuerit, comitia ſubitò ſolverentur; iram

deorum

deorum nempe hoc modo claram ſibi fieri opinabantur.

Sed et nos hodierno adhuc tempore, quamvis non ac veteres ſuperſtitioſi, maximum Epilepſiæ tribuimus honorem; crudeliſſimus enim eſt omnium ferè morbus, atque nulli ætati, nullæ orbis terrarum regioni parciens, ſævit in humanum genus, miſeroſque, quos extorquet, nec vivere nec mori ſinit.

DIAGNOSIS.

Symptomata Epilepſiæ propria, numero, indole et vehementiâ inſignia ſanè obſervantur, morbumque graviſſimum eſſe demonſtrant.

Pro morbi gradu, pro ejus duratione æque ac pro ſingulorum, quibus imperat, ætate, conſtitutione, genereque vivendi, vi quidem ſymptomata diverſa ſunt, omnia autem, horrida viſu, ſyſtema præcipuè nervorum et ſenſorium ipſum commune acerrimè affectum clariſſimè teſtantur.

Pathognomonica morbi ſigna quando enumerabo, illa omnia ſub ea denominatione amplecti velim,

velim, ſine quibus nunquam vel rariſſimè tantùm nobis obviam fit Epilepſia. Non quidem ignoro, ſigna pathognomonica ſive diagnoſtica, ſi ſtrenuò rem arguimus, ea ſola intelligi, quæ, nullo prorſus alio propria, noſtro tantummodo morbo inhærent; hâc tamen virtute verbo uti ſi vellem, juſtò arctius neque ſatis luculenter morbum delineare me crederem. Pingere itaque magis mihi liceat morbum, quam ſcholaſticè ante oculos ponere juvenum, quos impreſſione ſubitaneâ, per intuitum quaſi acceptâ, fortiùs et penitus magis edoceri, quàm ſi verbis moniti fuerint ſeſquipedalibus litteriſque mortuis, ex propriâ experientiâ optimè ſcio. Rei me accingam:

Acceſſus epilepticus interdum tam vehemens eſt ut mortem ſubitò inferat; plerumque verò eſt affectus periodicus per circuitus, nunc certos, nunc varios, rediens. Opinati exinde quidam ſunt, morbum huncce in his intervallis ſiderum revolutiones, præſertim conjunctiones et oppoſitiones ſequi *.

Tam

* Mead, De imperio ſolis et lunæ.

Tam fixus attamen certiſque his in limitibus coarctatus nunquam obſervatur morbus; et ſi obſervaretur, aliarum cauſarum influxui magis, quam ſiderum curſui phænomenon hoc certè mirandum adſcriberemus.

Paroxyſmus nonnunquam repentinus ægrum invadit, pro maxima verò parte prodromis ſat perſpicuis anteceditur ut ſunt capitis dolor jamjam matutinus, nauſea, cardialgia, inquietudo, laſſitudo totius corporis, vertigo, oculorum hebetudo, ſcintillæ obvolitantes, caligines, lachrymatio, tinnitus aurium; ſapor interdum accedit perverſus, palpitatio cordis, ventriculi inflatio et reſpiratio anxia nec non interrupta.

Aura demum epileptica, ventus quaſi, qui ab extremo corpore verſus caput aſſurgit, totamque adflat ſuperficiem, ultimum ante paroxyſmum eſt ſignum; ille enim ventus ubi caput attigit, paroxyſmi ſtatim ſit eruptio.

Mirum hoc phænomenon, quod ab ægroto tam diſtinctè percipitur, tamque accuratè deſcribitur, quomodo ſit explicandum, cuinam cauſæ tribuendum, "adhuc ſub judice lis eſt."

Meam ſi auderem afferre opinionem, frigus hoc ex cordis arteriarumque vi, incipiente jamjam paraxyſmo, valde imminuta oriri dicerem. Spaſmodicè omnes ferè corporis muſculi hoc jam tempore afficiuntur, violenter ſeſe contrahere incipiunt, et ita in arterias, quibus adjacent, prementes, ſanguinis in iis progreſſum impediunt, quod in extremis partibus, à corde longiſſimè diſtantibus, faciliùs et prius quàm in ſuperioribus corporis partibus fiat neceſſe ſit, facile intelligitur. Hæc verò extremarum partium prior refrigeratio, venti inſtar, velociſſimè ad pectus et caput adſcendit, quùm ſtatim, dum et majora circulationis vaſa langueſcunt, corque ipſum tardiùs ſeſe contrahit, convulſiones univerſales liberè nunc agant, totumque corpus ferociſſimè percutiant.

Paroxyſmus denique advenit, horridus viſu: humum cadit miſer, omnium membrorum, præſertim colli, pedum et brachiorum contorſionibus excrutiatur, lingua tremit in faucibus, oculi vertuntur, nil niſi album adſtantibus oſtendunt, pollices manuum volam verſus violenter contrahuntur, reſpiratio anxia, anhelans, interrupta,

cum

cum ſtertore, immo interdum clamore perficitur; circulatio ſanguinis manifeſtè perturbata eſt, extrema enim corporis frigeſcunt, frons ſudore madet, pulſus nunc tardi, nunc celeres, plerumque tamen debiles et exigui obſervantur; membrum virile tentigine vexatur, priapiſmus cum ſeminis ejaculatione ſequitur; urina inſcio mittitur, dejiciuntur fæces alvinæ; facies rubet, livet, imo nigreſcit, maxillæ nunc triſmò clauduntur, nunc colliduntur ſtridore dentes, linguam labiaque morſu petit æger, et per totum os diffluit ſpuma viſcida, aëri referta.

Inſcius, ſui expers, omni deſtitutus ſenſatione *, ſopore mox profundiſſimo excipitur æger, ex quo in placidiſſimum ſenſim ſenſimque incidit ſomnum, qui laſſum ſtupidumque, cæterum verò immunem eum relinquit, ita interdum, ut paucas poſt horas ne ſuſpicio quidem morbi ſuperſit ||.

Quando

* Optime hîc Boerhaave: Hinc fit ablatio omnium, ait, quæ in homine dicuntur homo.

|| Hinc juris periti lege caverunt, ne ſervus Epilepticus vendatur pro merce bona. *Boerhaave.*

Quando autem acres fuerunt paroxyſmi ac violenti et ſæpe redierunt, æger per ipſa intervalla malè ſe habet, hebeſcunt ſenſus, deletur maximè memoria, nullo negotio par, nullamque vitæ amœnitatem percipiens, ſomnolentus quaſi et triſtis circumvagatur.

Senſationis omnis durante paroxyſmo et inſequenti ſopore tam inſignis nonnunquam eſt abolitio, ut, auctore Boerhaavio, tibia ad os uſque combuſta fuerit in muliere, nullum prorſus ejus ſenſum habente.

Nonnulla adhuc ſymptomata paroxyſmum comitantia afferri poſſent, ut capilli in vertice horrentes, rigeſcentes, ſuperciliorum mira contractio, frontis corrugatio, et alia, quæ in homine videre licet, qui, ira incenſus, vindictam cogitat. Quùm autem non ſemper paroxyſmum deſignent, nec diagnoſtica vocari poſſint, de iis tacere mihi concedatur. Spuma in faucibus copioſè ſecreta, atque ex ore protruſa, peſſimi ominis magnique periculi teſtis Hippocrati fuit. Non ita amplius inter nos, non enim deeſt vel in leniori Epilepſia, et neceſſe eſt oriatur ex vehementia, quâ, cum

muſculi

musculi colli et faucium, spasmodicè contracti, glandulas premunt salivales.

Tempora paroxysmi præsentis, absentis valdè inter se variant, nec certo determinari possunt; simili modo et sopor et gratior dein somnus ægrum nunc longiùs, nunc breviùs recreat, fovet. Morbum itaque nunc apertum, nunc insidiosè latentem videmus, quorum ille status paroxysmi, hic tempus, ut ita dicam, intercalare est, in quo morbi ne vestigium quidem apparet.

Paroxysmus ipse, ut vidimus, stadio gaudet duplici, nempe,

a. Stadio convulsivo.

b. ——— soporoso, s. apoplectico.

Symptomatibus, quæ morbum denunciant, enarratis, definiendus nobis facilè erit morbus. Ne autem operam ipsi demus, vituperatione enim omni elatiorem in variis auctoribus invenimus Epilepsiæ definitionem: Boerhaavius * "Epile-" psia est abolitio subita," ait, "omnium fun-" ctionum animalium cum augmento motuum

 " vitalium

* De morbis nervorum. Tom. 2. p. 773.

"vitalium et motu convulſivo in omnibus muſ-"
"culis corporis."

Magis verò celeberr. Culleni definitio mihi arridet, concinna quùm ſit et quadrans: "Muſculorum convulſio cum ſopore."

Fuſiùs quidem, ſed indelebilibus omnino verbis, quæ hîc adducere liceat, memoriæ cælavit morbum Lucretius:

"Quinetiam ſubita vi morbi ſæpe coactus
"Ante oculos aliquis noſtros, ut fulminis ictu
"Concidit et ſpumas agit, ingemit et tremit artus,
"Deſipit, extentat nervos, torquetur, anhelat
"Inconſtanter et in jactando membra fatigat;
"—— Ubi jam morbi ſe flexit cauſa reditque
"In latebras ater corrupti corporis humor;
"Tum quaſi talipedans primum conſurgit et omneis
"Paullatim redit in ſenſus animamque receptat."

Lucret. Lib. iii.

PROGNOSIS,

PROGNOSIS.

Triplici præfertim ex caufa Epilepfia pro morbo omnium ferè acerrimo habenda mihi videtur, fcilicet :

1. Quia miferum, quem obfidet, maximo exponit periculo tùm a loci, ubi accidit paroxyfmus, conditione, cùm à temporis, quo fæpe evenit, incongruitate.

2. Quod curâ morbus eft pertinaciffimus.

3. Quod morbi fequelæ, etiam fi mors arcetur, triftiffimæ funt, morboque ipfo parùm præferendæ, ficuti fatuitas, ftupor, mania, melancholia, tabes etiam, paralyfis, hydrops et omne malorum agmen, quæ debilitatem comitantur, et inanitionem fequuntur. Quoad curam vel è contrario infanabilitatem Epilepfiæ a medico præfagiendam, varia funt momenta, quæ refpici debent et cautè perpendi.

Profperam alere fpem nobis licebit, ubi æger infans adhuc eft, vel tener faltem juvenis ; ubi rariores tantùm adfuere paroxyfmi, neque vi abnor-

mes ;

mes; ubi parentes ægroti bonâ fruuntur valetudine; ubi prodromis paroxyſmus ſemper præceditur, nec certis redit temporibus, et ubi denique cauſæ cuidam materiali faciliùſque removendæ morbi originem imputare poſſumus.

Epilepſia infantes minoreſque natu invadens, ex acido primarum viarum, ex vermium irritatione et ſimilibus ſæpiſſime oritur, quibus remotis ſtatim ceſſat et morbus.

Senſibilitas præterea ſyſtematis nervoſi inſignis huic ætati propria, de die in diem imminuitur ſpontè, neque a minoribus ſtimulis miro illo modo ampliùs afficitur.

A parentibus verò ſi reperimus Epilepſiam deſcendiſſe in prolem, ſeu conformationem cerebri à natura alienam, ſeu maximam ſaltem nervorum debilitatem certè timeamus, quarum illa nulla ratione, hæc perquam difficile ſummaque cum dubitatione corrigenda erit. Habitus enim epilepticus nervis indelebilis ferè jamjam impreſſus eſt, qui idem per fixum paroxyſmi redeuntis typum ſeſe declarat, morbumque devictioni obſtinaciſſinum reddit.

Neque

Neque non de ſexu cogitandum medico eſt, qui, quid ſentiat de morbo, determinare cogitur.

Fœminæ (cæteris paribus) faciliùs ab Epilepſia liberari poſſe mihi videntur, quam viri, et quidem eâdem ratione, quâ infantum Epilepſia mitior eſt ac adultorum. Mulieres enim gaudent corpore teneri, infantili, nervique eârum vel exiguis irritationibus eodem ac infantum, impetu repugnant; ex quo deducere licet, nervoſos fœminarum affectus in genere minoris eſſe momenti, neque tam eminens ac in viris ſecum ferre periculum; fœminas tamen etiam ob eandem cauſam ſæpius multò ac nos, variis nervorum affectionibus, et in iis Epilepſiæ, ſubjectas eſſe, afferi poteſt, in quo verò alii ab aliis diſſentiunt medici †.

Cauſarum

† Celſus in contrariam abit opinionem: Vid. ejus de Medicina, lib. iii. cap. 23.

Huc etiam vertitur patruus meus, quem ſummoperè veneror. V. Motherby's Medical Dictionary, art. Epilepſy.

Cullenus tamen celeberr. ſententiam, quam hic protuli, defendit.

Causarum imprimis, quæ Epilepsiam produxere, natura sollicitè indaganda est, ab ea enim, quid sperandum, quid timendum, quid denique præsagiendum sit, præcipuè dependit. Vitia organica, quæ cerebrum afficiunt, partiumque solidarum conformatio morbosa omnem ferè sanandi prospectum obnubilant, curamque radicalem nequaquam admittunt; huc inprimis pertinent vasorum cerebri ejusque membranarum nimia laxitas et distentio, meningium ossificationes †, exostoses cranii internæ cerebrum continuò prementes, et postremò omnes spinæ dorsi, medullæque exinde spinalis flexuræ sicuti et pressuræ. Ne justò citiùs tamen et indolenter in tali causa acquiescant medici, et prorsus, priusquam, causam nulla conditione removendam esse, penitus

† V. De la Motte, Traité complet de Chirurgie, tom. 2. p. 368. ubi narrat: se in cadavere juvenis, qui per octodecim annos Epilepsiâ laboraverat, vidisse duram matrem, ubi falcem format, osseis aculeis asperam, &c. Van Swieten alia adhuc hujusmodi exempla ex variis auctoribus affert.

penitus cognoverint, manum ab ægroto benignam retrahant, certè optandum eſt! Quando feliciorem morbi exitum conjicere nobis liceat, ſupra jamjam memoravi.

Omnis Epilepſiæ exitus triplici modo contingere poteſt; rectâ viâ nempè ſeu in ſecundam valetudinem abit, ſeu in mortem ex inanitione, ſive etiam in alium planè morbum mutatur Epilepſia; et quidem plerumque in febrem intermittentem, choleram, dyſenteriam vel cujuſdam generis exanthema: qui morbi cùm majorem ſanationis præbeant ſpem, terminatio in eos Epilepſiæ omnino proſpera haberi debet. Paroxyſmus ipſe epilepticus quàm rariſſimè lethalis evadit, quod autem quando fit, apoplexia ex vehementi humorum verſus caput congeſtione mortem inducit.

AETIOLOGIA.

AETIOLOGIA.

Caufarum in omni morbo inveftigatio rationalem medicum diftinguit ab Empirico, caufarum jufta habita ratio clariùs plerumque quàm ægri fanatio rei peritis manifeftat, qui tribuendus fit medico honos, quid fecerit natura?

Longè hoc effe difficillimum in omni artis falutiferæ ftudio, ingenioque pariter infigni ac fubtiliffimâ egere naturæ perfcrutatione, nemo unquam negavit, nufquam quis difputavit; et tamen quid agat medicus, fi caufam non noverit, quonam utatur telo, fi, quem oppugnet inimicum, nefcierit?

Hinc eft, unde Medicina conjecturalis dicitur fcientia, omniumque dubiofiffima; nec fine jure ita, principia enim, quibus nititur in vivo corpore natura, à quonam mortalium jam funt eruta, cuinam patent humano ingenio?

Magna cum arte quidem et egregio mentis acumine perplures omnium ævorum philofophi et medici, leges naturæ, quomodo ageret, præfcripferunt,

ſcripſerunt, non autem, quas re verâ ſequitur, attingere potuere.

Dictatores potius quàm commentatores naturæ fuerunt, qui legibus chemicis, vel principiis mechanicis eam obſtringi aſſeruerunt; Dæmone verùm cuique corpori proprio qui eam regi prædixerunt, Dæmone ſine dubio ipſi eoque inſano obſeſſi mihi videntur.

Phænomena ſtatus ſani ſimul ac morboſi ſi contemplamur, omnium, quæ circa hominem ſunt, in eum influxum ſi animadvertimus, ſi porrò in quovis alio homine aliam videmus valetudinem, quaſnam leges, quænam principia ſuppeditemus Naturæ, pro maxima parte nos ignorare lubenter fatebimur, atque Socraticâ ſinceritate concedemus: "Quanta ſunt, quæ neſcimus!"

In hoc igitur opuſculo ſi nil amplius invenietur, nemo ſanè mirabitur, neque, cur propterea me purgem, cauſa ſubeſt. Ad propoſitum redeamus:

Ex plurimis phænomenis hunc morbum deſignantibus,

gnantibus, sedem ejus in cerebro esse admodum liquet, interque Pathologos ita receptum est †.

Causæ ejus remotæ ad duo capita referuntur, seminia nempe vel causas prædisponentes, et potestates nocivas vel causas occasionales.

Inter causas prædisponentes mobilitas præsertim cerebri ‡, nervorumque eximia sensibilitas annumerandæ sunt; mobilitatem dicimus, cùm quis spe, timore, gaudio, dolore facilè et fortiter moveatur,

† Celeberr. Hufeland, præceptor meus, ad cineres usque colendus, argumentis, quæ mox afferam, innixus, hanc sententiam contendit:

a. Varia irritamenta externa adesse possunt, quæ ad Epilepsiam inducendam non sufficiunt.

b. Convulsiones universales non nisi ex centro systematis nervosi originem trahunt.

c. Sui inscius mentisque expers æger est durante paroxysmo.

d. Aura sic dicta epileptica simul ac caput attingit, paroxysmus eodem momento erumpit.

‡ Vid. Cullen, Pract. of Physic, Vol. 3. pag. 368. Edinb. 1796.

veatur; cum iræ, triſtitiæ, laſciviæ proclivis, vagus et inconſtans, neque per diem ſimilis ſibi et idem reperiatur. Hæc animi variabilitas originem pro maxima parte ducit ex exceſſu in venere, turpi Onania, vel immodico ſpirituoſorum uſu, ſed ex fulminis etiam ictu, ut exempla adſunt, et fortiſſimis concuſſionibus electricis, omnibuſque demum ex cauſis, quæ inſigni gradu debilitant, in quibus profluvium ſanguinis copioſum, uti in abortu vel etiam in partu frequenter obſervatur, memoratu ſanè dignum eſt †. Nonnunquam tamen à parentibus jamjam accepit miſer hanc triſtiſſimam omnium dotem, et tunc in topica cerebri debilitate ſive mala ejus conformatione cauſam quærere licet.

Omnimodo autem et abſolutè neceſſariam ad Epilepſiam inferendam talem cerebri mobilitatem eſſe non opinor, eos nempe caſus exemptos exiſtimans, ubi vel a topico irritamento in cerebrum ipſum agente morbus exortus ſit, vel ex conſenſuali tantùm cauſa, exempli gratia ex irritationibus

† Boerhaave, De morb. nervor. Vol. 2. p. 785.

bus abdominalibus, vermibus, alvi obſtructione, acido primarum viarum, miaſmatibus varii generis huc depoſitis, et viſcerum denique obſtructionibus, quo fit, ut ſanguis, in curſu naturali impeditus, verſus caput pellatur, ibique, nimiâ quantitate collectus, vaſa tenuiora maximè diſtendat, et cerebrum graviſſimè premat. Sed et mechanica irritamenta, quæ nervos vel in maxima à cerebro diſtantia excruciant, huc pertinent, uti ſunt eryſipelas manuum vel pedum occultum, dentitio difficilis, deligatio immo funiculi ſpermatici in caſtratione, et omnes medullæ ſpinalis preſſuræ atque læſiones externæ.

Topica cerebri irritamenta varii generis ſunt, fuganda interdum, multò ſæpius verò nullâ ratione removenda. Illuc fortaſſe referri poſſunt ſanguinis extravaſationes leviores et particulæ cranii fracti minores cerebro leniter impreſſæ, quæ nonnunquam trepanatione cautè inſtituta illæ exſiccari, hae extrahi queunt. Tumores autem in interna calvariæ ſuperficie, nodi et excreſcentiæ oſſeæ, et aqua in Hydrocephalo interno ſubter cranium collecta, ſive ventriculis cerebri

rebri contenta, alia ut omittam, ad classem sanè pertinent, quam dixi insanabilem. Magna porrò humorum in corpore quantitas, quæ vocatur plethora, cum insigni nervorum sensibilitate conjuncta in præcipuis causis habenda est, quæ favent Epilepsiæ, quæque, datâ primâ occasione, morbum ipsum inducunt.

Hâc observatione certiores pro parte reddimur de ratione, cur sexui sequiori Epilepsia magis inhæreat quam viris, cur tenerem magis quam provectiorem afficiat aetatem, et cur habitus corporis, qui dicitur sanguineus, præ ceteris ad hunc morbum proclivitatem ostendat. Seminium verò solum sive ad morbum dispositio, nisi accedant causæ occasionales, morbum inducere per se minimè potest. Occasionalium classificatio luculentèr et systematicè apud Cullenum est comparata, et hîc maximè loci esse mihi videtur :

I. Causæ, quæ cerebrum excitant.

II. Causæ, quæ collapsum inferunt.

Excitantes rurſus dividuntur in,

A. Cauſas, quæ in cerebrum ipſum; et

B. Quæ in aliam corporis partem agunt, undè effectus ad cerebrum tranſit; hæc eſt, quæ Epilepſia ſympathica, deuteropathica, ſeu conſenſualis, illa, quæ idiopathica ſive protopathica a medicis dicitur.

Cauſarum cerebrum ipſum excitantium altera ſit diviſio in,

a. Stimulos mechanicos.

b. Acria vi chemicâ agentia.

c. Mentem irritantia.

d. Irritationem à vaſis intra cranium diſtenſis.

His de ſingulis quùm ſupra jamjam pauca dixerim, nilque novi, quod Lector apud varios de Epilepſia ſcriptores non inveniat, ex propriis addere vires meæ juveniles patiantur, ſilentio per nota et ſæpius repetita tranſire mihi liceat, ut eo fuſiùs caput quod inſtat, tractare poſſim.

Unam tantùm obſervationem adjungere mihi concedatur, rogo.

In

In perſcrutandis variis Epilepſiæ cauſis occaſionalibus, irritationes mentales, quas frequentiſſimè paroxyſmo originem præbere ſcimus, diutiùs paullulum ut in iis commorarer, dignæ mihi videbantur. Gaudium eximium et anxia cujuſdam rei ſpes, magis verò adhuc ira ſubitò incenſa et vexatio eluſum præcipuè acerrimè violans paroxyſmum extemplo inducere valet, præclarè, ut videtur, confirmans, cauſam Epilepſiæ proximam in ſenſorio communi locum habere, quod ultra dubium ferè probatur, quùm meminerimus, ſolum hominis, epilepſiæ paroxyſmo ferociter extorti, adſpectum ita in miſerum, ad morbum jamjam diſpoſitum, agere poſſe, ut ſtatim in paroxyſmum ipſe incidat, cujus rei exempla plura inveniuntur in auctoribus * neque rarò nobis ipſa occurrunt.

Mentem hîc prius et fortiſſimè quidem, ſecundario verùm poſtea affici corpus, perſuaſum mihi habeo.

Medici

* Vid. Bagliv. prax. med. Lib. 1. Cap. xiv. Sect. 2. V. and Robert Whytt on Nervous Diſorders; p. 217.

Medici cujufdam præclari * methodus, in orphanotrophio Haerlemenfi ingenuofè admodum inftituta, fecundum cùm habuerit eventum, conjecturam de fede morbi in cerebro modo propopofitam, maximè laudare et corona, ut ita dicem, ornare videtur. Puer, atrociffimâ Epilepfiâ cruciatus, in nofocomium, de quo dixi, portatus fuit; quem cùm reliqui pueri, qui in iifdem ædibus habitabant, viderint, in epilepfiam ipfi inciderunt, et toties poftea paroxyfmo correpti fuerunt, quoties puerum illum eo laborare animadverterunt. Kaauw Boerhaave, qui orphanotrophio ut medicus præerat, inquirens, an unquam antea epileptici fuerint hi pueri, eos non fuiffe cùm invenierit, non aliter potuit explicare hoc mirum, quod obfervaverat, phænomenon, quàm ut adfcriberet fortiffimæ in mentem puerorum factæ impreffioni, et hinc repentè decrevit, in mentem ipfam immediatim agere hic opus effe; mentis enim impreffione deletâ corpus à fymptomatibus mox liberatum iri non dubitavit; pueros itaque, quùm primum quifquis eorum paroxyfmo epilepti-

co

* V. Kaauw Boerhaave: Impetum faciens, § 406.

co ſeſe dederit, ſeveriſſimis verberibus ſe caſtigaturum eſſe, feriò minabatur; quo fiebat ut—vix unus et alter eorum morbum poſtea iterum perpeſſus ſit. Tali modo mens in corpus agit, memor ergo ſit medicus, corpori ineſſe, fortaſſe præeſſe mentem.

RATIO MEDENDI.

Indicationes hîc habemus generales ſequentes:

1. Indagetur cauſa remota et, ſi fieri poteſt, removeatur.

2. Conditio nervorum anomala et cerebri ſenſibilitas morboſa tollantur.

3. Vitia conſtitutionis emendentur.

4. Criſes, ſi oportet, efficiantur.

CURA PALLIATIVA ſeu SYMPTOMATICA.

Paroxyſmo ut plurimum evitando operam dare debemus; quo rariùs enim ille advenit, eo minus timendum eſt, ne habitus epilepticus nervis imprimatur.

Averti autem folummodo poteft, quùm prodromi ei antecederint. Hi fi non antecedunt, paroxyfmum totum arcere quidem non valemus, ejus violentiam tamen maximè imminuere poffumus.

Prodromos quum fentiat æger, omnia, quæ forte adfunt, irritamenta removeamus; huc pertinent omnia, quæ gaftrica vocantur, uti et ventriculi nimia repletio; tum bene conducent clyfmata, leniter etiam evacuantia et inprimis vomitoria, quæ fyftema nervofum faluberrimè concutiunt; pleno ventre infuper in paroxyfmum cadere perniciofiffimum habetur. Animo fi forfan agitetur æger, blandè eum pacificemus. In plethorico homine et fucculento Venæfectio inftitui poteft, fanguinis enim paullulo detracto, Apoplexiæ periculum magnoperè prævertitur.

Si ab una eademque parte femper incipit aura, per conftrictionem hujus partis auræ verfus caput progreffus impediri et ita paroxyfmus ipfe averti poteft; lorum nempe ex corio molli confectum circum partem ab ægro femper geftari

debet,

debet, qui, ſimul ac adſcendentem ſenſerit auram, lorum ipſe pro lubitu conſtringere poſſit *.

Tunc ſyſtema nervorum, ne alterum patiatur evenire paroxyſmum, ſedare et lenire nos oportet; variis in hunc finem gaudemus medicaminibus: Emetica a Werlhofio inprimis laudantur; liquor cornu cervi ſuccinatus ad quadraginta uſque guttas porrectus horaeque ſpatio iteratus fuit cum fauſto eventu; ante omnia autem lecto molli deponatur æger, ne ſe ipſe lædat, dum membra convulſionibus huc illuc jactantur; pollicem intra retractum vi explicare, abſurdum eſt et ſpaſmum auget; otioſi ſpectatores nunquam admittantur, aërem enim tantùm vitiant nec ulli bono ſunt.

Antiſpaſmodica nunc aptiſſimè dantur; per os autem ab ægro rariſſimè ſumi poſſunt, cum ob triſmum maxillarem, tùm ob ſpaſmodicam oeſophagi conſtrictionem; clyſmata ideo applicentur ex aſafœtida cum laudano liquido Sydenhami, temporaque ſimul et ſcrobiculum cordis, abdomen

* Vid. Lyſons Pract. Eſſays upon Intermitting Fevers, Dropſies, Epilepſy, &c.; Page 155. Bath 1772.

men et ſpina dorſi antiſpaſticis et ſpirituoſis fricentur. Fortiſſimè pungentia uti ſal cornu cervi vel alia Ammoniacalia naribus ſuſtinere, magnopere diſſuadent medici, Apoplexiam iis promoveri timentes †.

CURA RADICALIS.

Indicationes ſupra adductæ ſervandæ ſunt, nempe:

I. Removeantur cauſæ remotæ; hoc pro diverſis cauſis diverſo modo fieri oportet. Pluri-mæ earum quùm jamjam ſint enumeratæ, repetere eas non opus erit; præcipuas tantùm eligere liceat, et quomodo ſint removendæ, palam facere. Vermes et acidum primarum viarum in infantibus ſæpe cauſam ſiſtunt Epilepſiæ, Venus nimia, Onaniſmus et omnes in libidine exceſſus frequentiſſimè in adultis.

Vermes roborantibus in genere ſed et ſpecificis anthelminticis vel necari vel expelli poſſunt; acidum

† Acetum vini naribus leniter et cautè injicere ſuadet Cœlius Aurelianus.

acidum abſorbentibus terreſtribus et alkalinis, uti creta, lapidibus cancrorum et Magneſia alba facillimè fugatur; per Onaniam verò et Venerem immodicam quæ inducta ſunt mala, ſtimulantibus ſolummodo fortioribus, roborantibus dein tonicis et nutrientibus oppugnare debemus, quæ quando vicerimus, ter quaterque felices nos exiſtimemus. Methodus uti in tabe dorſali eſt inſtituenda, et maximè hic ſeſe commendant cortex peruvianus, flores ſalis ammoniaci martiales, folia aurantiorum viridia, extracta varia amara et martialia cum vino præſertim ſumpta; externè aptiſſima fuerunt balnea tepida, aromatica, martialia; pro potu ordinario præſcribi poteſt mucilago ex radice Salep, vel etiam gelatina lichenis iſlandici cum lacte vel aqua miſcenda; imo cereviſia fortis et amara optimè conducere mihi videtur. Cauſa chirurgica ſi præceſſerit, ut cranii fractura et in cerebrum depreſſio quovis modo exorta, forum medicum caſus iſte non reſpicit ſed Chirurgo tradendus eſt.

Nonnunquam, ut ſupra dixi, conſenſualiter oritur Epilepſia ab irritatione nervorum in parti-

bus

bus à cerebro longè diſtantibus, uti à vulnere, excreſcentia, ſive etiam materia quadam metaſtaticè in manum vel pedem depoſita et aliis.

Metaſtaſeos quando ſubeſt ſuſpicio, balnea præ cæteris ſulphurea, unguenta nervina, ulcera imo artificialia et cauteriſatio proſunt, quibus pars affectá tam mirè excitatur, ut materies acris et nociva, poſtquam blanda et immunis facta eſt, vel reſorbeatur vel planè ex maſſa humorum pellatur.

Epilepſiam fixâ periodo redientem, ita ut febrem intermittentem, cum cortice peruviano tractare licet.

II. Cauſa proxima morbi tollatur, *i. e.* vis nervorum anomala in naturalem mutetur cerebrique nimia ſenſibilitas omnimodo imminuatur.

Antequam medicamenta in hunc finem adhibeantur, neceſſe eſt ut omnes, ſi potuerint, cauſæ occaſionales, quæ paroxyſmum facilè movent, avertantur, uti gaudium immoderatum, ira et omnia animi pathemata fortiora; diligenter imprimis removeatur ab ægro viſus epileptici, affectione correpti, nam præterquam paroxyſmus, ut monui, in ægro facillimè ita excitatur, miſer

etiam

etiam ſibi ipſi horrendus et odioſus redditur, quod Aretæus optimè ſentiens ſic exprimit: "quod miſeri hi ægri, ſi ſcirent, quomodo ſe "haberent in paroxyſmo, vitam fugerent; ſed "quia hoc neſciunt, illud ſolum facit horren-"dum hunc morbum tolerabilem."

Medicamina ex claſſe excitantium, antiſpaſmodicorum et quæ dicuntur nervina, ſcopo noſtro idonea ſeſe demonſtrant, quorum, quæ experientià maximè probata fuere, præcipua afferam. Inſignis medicaminum copia in hoc morbo collecta obſervatur; quid mirum autem, medicos in morbo tam acri, tam pertinaci ſanando per omnia, animale, vegetabile et foſſile naturæ regna in auxilio quærendo vagatos eſſe! Plurima medicamentorum, quæ hoc in morbo in uſu ſunt, ſimilibus quidem gaudent virtutibus, gradu tantum diverſis, natura autem quoniam tam facilè ſtimulo cuidam aſſueſcat, variatio ſtimulorum medico prudenti non parùm juvabit, quamobrem, quò major medicamentorum ad manus ei ſit copia, eò acutius eum naturam proſequi poſſe in latebras abſconditiſſimas, eamque ab omni

ni parte et penitus pertentare, perſuaſum mihi habeo. Singula nunc afferam ordine haud interrupto medicamenta, interna primum, dein externa, a quibus auxilium petiêre medici.

Valeriana ſylveſtris; planta maximè fragrans, volatilis; radix in pulverem trita ad drachmam omni bihorio detur; ſin pulverem non ferre potuerit æger, electuarium capiat vel infuſum. Decocta et Extracta, quùm in igne parata fuerint, volatilia amiſerunt, et nulli exinde ſunt uſui. Oleum Valerianæ æthereum ad guttas duas vel tres bono cum ſucceſſu adhibitum fuiſſe docet Hufeland *.

Viſcum quernum, cujus uſus nullis contra-indicationibus limitatur; leniter enim incitat nervos, nec motum ſanguinis accelerat. Præſcribi poteſt in pulvere, electuario et decocto.

Folia aurantiorum viridia, à Tiſſotio doctiſſimo Genevenſi multùm commendata †, præſertim in magna nervorum ex onania debilitate, in pulverem redacta ſumuntur.

Digitalis

* Vid. Hufeland's Journal der praktiſchen Heilkunde.

† Vid. Tiſſot Traitè de l' Epilepſie. Paris 1770.

Digitalis purpurea; antiſpaſmodicè agit et efficaciſſimè movet urinam; ad grana duo vel tria plerumque præſcribitur herba.

Helleborus niger et albus (Veratrum album Linn.) heroica ſanè remedia et cautè adhibenda; doſis eorum eſt granum dimidium ad totum uſque.

Oleum Cajeput, quod habemus ex Melaleuca Leucadendron Linn. Guttulae tres vel quatuor quater in die adminiſtrari poſſunt cum pulvere Valerianæ et aliis.

Agaricus muſcarius Linn. Remedium valde draſticum et narcoticum; Incipias cum quinque vel ſex granis, ſenſim ſenſimque augens doſin; ad drachmam uſque quidam Agaricum porrexerunt *.

Gummi-Reſina Aſæfœtidæ; in primis antepilepticis locum obtinet; optimè in ſpirituoſis ſoluta ſive in pillulis adhibetur.

Opium, praeſtantiſſimum in omnibus nervorum affectibus, ubi plethora deeſt, remedium.

Fel tauri; egregium exiſtimatur antepilepticum;

* Vid. Bernardi cum Agarico muſcarum experimenta.

cum; non modo digeſtionem promovet, ſed antiſpaſmodicè etiam et anthelminticè agit; in nonnullis regionibus ſeptentrionalibus urſorum bile utuntur in Epilepſia.

Moſchus, tàm nativus quàm artificialis, qui autem, niſi majore copiâ datus, nihil agit. De nativo grana ſex vel octo dari poſſunt, de artificiali tria tantùm vel quatuor; egregiè conducit, ubi cauſa ſubeſt moralis vel ubi materia quaedam morboſa, ut pſorica, arthritica, &c. Epilepſiam excitaverit, ſecretiones enim Moſchus efficaciter promovet. Aptiſſimè datur in Tincturis, ſeu Emulſionibus cum mucilagine et Syrupo.

Oleum animale Dippelii; ex cornubus et aliis animalium partibus deſtillatum; empyreumaticum autem eſt et peſſimi ſaporis, blandis itaque commiſceri debet vel oleis vel mucilaginoſis. In Epilepſia à cauſa morali pendente praeſertim conduxiſſe dicitur.

Phoſphorus urinae *, cujus virtutes medicae magis atque magis quotidie eruuntur, omnium fortaſſe,

* Vid. Chr. Ehrenfr. Weigel diſſert. med. inaug. de uſu Phoſphori medico. Jenae. 1798.

fortasse, quibus gaudemus, medicamentorum potentissimum est et fortissimum.

In substantia antehac dabatur cum conserva rosarum, justò nimis autem hoc modo in totum corpus et maximè in ventriculum, quem immediatim tangebat, agere observabatur, et ita quidem, ut ille inflammaretur et callosus immo fieret *. Meliùs igitur Phosphorus solvitur in oleo vel in Naphta Vitrioli vel etiam cum mucilagine miscetur et in Emulsione ad grana duo, ultra nunquam, pro dosi porrigitur :

Rec. Phosph. urin. gr. vi.
Aquæ flor. Tiliæ ℥iv.
Mucilag. gum. arab. q. suff. ut f. emulsio.
Adde
Syrup. emulsivi ℥ii.
M.
S. ter in die cochlearium unum sumendum.

Aether s. Naphta Vitrioli ; stimulus velocissimè agens et totum penetrans systema ; ab Hoffmanno maximis laudibus effertur.

Elixir

* Vid. Weickardt's vermischte Schriften.

Elixir acidum Halleri, exquiſita ſine dubio compoſitio, ſenſibilitati vel maximè adauctæ aptiſſimum exhibens ſtimulum.

Flores Zinci *. Nonne hic principium, quod ſecundum ingenioſum Lavoiſier vocatur *Oxygène*, virtutem zinco calcinato præbet excitantem? Optimum ſe præſtavit in Epilepſia remedium, nunquam non cum emolumento adhibendum. Bene in Tinctura Zinci datur, ſed et Zincum vitriolatum in uſu eſt; in forma pulveris ad grana duo, tria vel quatuor capere licet pro doſi.

Abſorbentia; in Epilepſia ab acido primarum viarum generata, qua ſæpe laborant infantes et Hypochondriaci, bene conducunt. Magneſia inprimis et lapides cancrorum, ex quibus pulverem illum famoſum antepilepticum Marchionum conſiſtere veriſimile eſt, ſaluberrimè agunt. Doſis hujus ſpecifici arcani eſt ſcrupulus, quandoque in die ſumendus. Oleum præterea tartari per deliquium, aqua calcis vivæ, &c. interdum dantur.

Antimonialia, præſertim tartarum emeticum et ſulphur auratum antimonii refractis doſibus, ita ut

* A Gaubio imprimis commendatæ.

ut nervos tantùm concutiant, non verò vomitum excitent, porrigenda aptiſſima cenſeo.

Stannum à quibuſdam laudatur, an meritò, determinare non audeam.

Mercurius ſaluberrimum ſeſe oſtendit, ubi vermes, obſtructiones viſcerum vel ſcrophularum veſtigia apparent; non raro ipſum virus venereum modificatum Epilepſiam gignit, quod quùm ſuſpicitur, nullo pacto Mercurii uſus omitti debet.

Mercurium dulcem * ad grana duo, mercurium ſolubilem Hahnemanni ad ſingulum granum in die adminiſtrant medici. Inunctiones ſimul mercuriales non ſunt negligendæ.

Cuprum †; duplici formâ porrigitur Epilepticis, ut Cuprum nempe ammoniacale ſive ut Vitriolum cupri; efficaciùs habetur ammoniacale, in initio ad granum dimidium bis in die adhibendum; ſi convenit ægro, doſin paullatim augere licet, donec nauſeam ſentiat æger et procli-

vitatem

* Vid. Lyſons Eſſays, page 168.

† Ruſſel Diſſert. med. inaug. de Cupro.

vitatem vomendi; grana duo, tria, immo quatuor fumta esse in die, edocemur; datur vel in folutione vel in pillulis.

Rec. Cupri ammoniac. gr. iv.
Solve in
Aq. Cinnamom. fine vino.
Adde ℥iv.
Syrup. cort. aurant. ℥ss.
M. D. S. mane et vespere cochlearium unum.

Rec. Cupri ammon. gr. v.
Solve in Aq. destil. suff. quant.
Adde Micæ panis, facch. alb. ana. quant. suff. ut f. pil. No L.
D. S. mane et vespere sumantur quinque pil.

Cinnabaris nativa et artefacta. (Mercurii cum Sulphure conjunctio) Exemplorum, ubi data fuerit et quomodo egerit, ipse non memini, ex partium tamen constituentium natura, prosperum, ut opinor, medicamenti in Epilepsia usum colligere licet.

Lapis

Lapis ſic dictus infernalis, ſive argentum nitratum ‡. Eximiæ hujus remedii in morbo, de quo mihi ſermo eſt, efficaciæ teſtis ipſe fui, cum eſſem Vindobonæ. Ad pillulas nempe ex argento nitrato confectas, poſtquam omnia ferè cætera incaſſùm adhibuerat, refugit ingenioſus admodum medicus, Doctor Nord, earumque vi paroxyſmum, qui ter quaterve antea occurrerat in die, per quatuor vel quinque arcebat ſeptimanas, quum eas ſubitò, neſcio an negligentiori medicamenti præparatione vel quod huic ſtimulo jamjam fortaſſe aſſueviſſet ægrotorum natura, nil amplius vel multò minus ſaltem præſtare obſervaret. In pluribus, quod benè notandum eſt, ſimul Epilepticis, qui diligentiſſimâ tenebantur inſpectione, experimentum, de quo dixi, ex induſtria inſtitutum fuit, et in omnibus ferè ſimul idem obſervavit medicus. Doſin, quâ porrigebatur argentum, exactè, quod maximè doleo, affirmare nequeo; minutiſſimâ autem quantitate ſi quis

‡ Vid. Dr. Duncan's Annals of Medicine for 1798, p. 456, et ſeq.

quis incipiet hoc medicamentum porrigere, errorem committere non poterit. Digniſſimam ſanè rem arbitror, ut propius indagetur noviſque experimentis magis confirmetur ‡.

Arſenicum ipſum intentatum non remanſit; quale autem ſe præſtaverit, ignoro.

Specificis arcanis præterea gaudemus pluribus, in quibus maximi præſertim habetur Pulvis ſic dictus Ragolenſis, ab eo, qui primum commiſcuit, nomen trahens. Neque planè inefficax dici poteſt, cùm perplura exſtent exempla, quibus, ubi mirè egerit, haud ambiguè docemur. Agaricus muſcarum vim pulveris præcipuam conſtituere exiſtimatur ‖.

Quum

‡ Exemplum Epilepſiæ inveteratæ per argentum nitratum internè ſumtum feliciter devictæ videre licet in Dr. Bradley's Medical and Phyſical Journal. No. vi. p. 70.

‖ Plura hac de re inveniuntur in: Von Crell's Chemiſchen Annalen, No. 12. 1793, ubi Gmelin, celeberrimus Chemicus Gottingenſis, de Pulvere Ragolenſi decompoſito reddit rationem, ab iſta, quam attuli, quodammodo diverſam.

Quùm tandem varia methodo variiſque medicaminibus adhibitis habitum nervorum incongruum mutaverimus, ſenſibilitatemque cerebri auctam ritè minuerimus, roborandum ex induſtria nobis erit et fixis tonicisque roborantibus indefeſsè utendum, nec unquam ferè poſtea uſus eorum omittendus; cortex Peruvianus inſigni modo hîc conveniet, vel in ſubſtantia vel in decocto, præſertim vinoſo, porrectus; ferrum exinde vel ut limatura vel in vino chalybeato, vel etiam, quæ forma eſt leniſſima et à quoque perfertur, in aqua martiali nativa, quam per omnem ferè orbem terrarum tam benevolè nobis offerunt fontes, proſperè conducet.

Diæta porrò et omnis ratio vivendi magni mehercle eſt ponderis in Epilepſia funditùs exſtirpanda; tractationi medici therapeuticæ exactiſſimè correſpondeat, neceſſe eſt.

Veſcatur itaque æger lævi quidem ſed nutriente cibo, carne magis quam legumine; vino quotidie utatur modicè; corpus ambulatione et equitatione exerceat; ſomno non valdè indulgeat;

 rure,

rure, ſi poterit, vivat, et hilari amicorum conſuetudine fruatur.

Externorum remediorum in Epilepſia applicatio nullo modo negligenda eſt.

Sola enim interdum ad curam omnem perficiendam ſufficiunt, et ſi non, vim et efficaciam internè ſumtorum quàm uberrimè tamen adaugent.

Saluberrima omnium mihi videntur Balnea, Electriſatio et Perfrictiones, quippe quod fortiſſimè penetrent omnem corporis compagem, nec topicè ſolummodo agant. Balneum tepidum † frigido longè præferendum eſſe opinor, ubi ſpaſmum ſolvere, et cutis perſpirationem liberare velimus, quod ſanè utrumque molimur in Epilepſia; gratâ inſuper ita afficitur æger ſenſatione, quæ per ſe jamjam morbum tollere pro parte valet, eâdem nempe ratione, quâ per ingratum quendam ſenſum, ut ſunt odores nonnulli fœtidi et alia,

† Pomme von den Nervenkrankheiten und dem Nutzen der warmen Bäder in Selbigen.

alia, idem morbus interdum inducitur, ut opinatur Cullenus †.

Aqua e contrario frigida oſtia vaſorum exhalantium in cute conſtringit, cutem facit anſerinam, ut dicunt, et perſpirationem manifeſtò impedit, quod tamen omni curâ evitandum mihi videtur.

Concuſſione porrò et transfuſione (ſi verbo uti licet) electricâ multa nervorum mala fugata eſſe, inter omnes conſtat ‡; Epilepſiæ exinde fore remedium maximè adaptum, non habeo, quod dubitem.

Frictionum cum nervinis et ſtimulantibus utilitas facilè intelligitur, quinimmo experientiâ ſancitur. Veſicatoria denique, Setacea, Cauteria varia, et in iis ipſa Moxa, capiti interdum et cervici applicentur, ſenſibilitatem enim vehementi quem afferunt dolore mirè invertunt ſimul ac materiam morboſam, quæ ſi Epilepſiam effecerit, derivant, attrahunt et demum evacuant.

III.

† Pract. of Phyſic, vol. iii. p. 364.

‡ Vid. de Haen ratio medendi.

III. Vitia conſtitutionis emendentur.

Habitus plethoricus non rarò conjunctus invenitur cum magna nervorum irritabilitate, quod in temperamento ſic dicto ſanguineo inprimis obſervamus et ubi hæmorrhagiæ conſuetæ habituque naturales penè factæ derepente ſiſtunt et fluere deſinunt, uti menſtrua, hæmorrhoidum fluxus et alia; ſanguis juſtò nunc copioſiùs accumulatus, nervos, ut ita dicam, titillat, continuo irritat neque regulariter agere finit; ſtatim igitur detrahi et victus ſimul parcus juberi debet.

Fonticuli et ulcera artificialia eodem ſcopo facienda ſunt, quùm ſecundum obſervationes doctiſſimi Pringle ‡ ad ſanguinis molem imminuendam,

‡ Pringle's Obſervations, in the Appendix, Exp. xlv. towards the end; where the Doctor, after obſerving "that the ſerum of human blood, upon ſtanding but a "little time in the furnace, (long before it becomes of- "fenſive,) grows turbid, and gradually drops a ſediment "reſembling well-digeſted matter;" adds, "That iſſues "are of more conſequence for making drains, than one "could

dam et plethoram avertendam infigni modo conferant.

Conftitutio corporis autem fi maximè fuerit debilitata, fi penuria magis humorum et virium proftratio adfit, excitantia folummodo unà cum nutrientibus expedient.

IV. Crifes efficiendæ funt. Diverfæ hæ fanè erint pro diverfis Epilepfiæ caufis; quando febris intermittens, fubitò fuppreffa, morbum induxerit, hæc nobis erit rurfus excitanda. Ab exanthematibus imprudenter repulfis quando ortum traxerit morbus, exanthema abfque dubio erit provocandum; idem erit faciendum quùm ulcus, antiquitate fuâ quafi venerabile, derepente exficcatum fuerit, vel hæmorrhoides fluentes fubitò

" could expect from the vifible evacuation. As near," fays he, " as I could guefs, an ounce of ferum, upon " ftanding fome days, did not produce more of this matter, than what might be produced from the daily difcharge of a large pea-iffue or a feton."

bitò ceſſaverint cum Epilepſia ſcilicet mox inſequente.

Hæc vero hactenus. Plura ut proferam, non poſtulatur; meliora—vires non ſufficiunt.

FINIS.

